



LOGICORUM  
LIBER SECUNDUS

De  
ARGUMENTO SIMPLI-  
CI COMMUNI.

Cap. I. *Argumentum quid sit?*

**S**ic explicatum est thema, deinceps explicandum erit argumentum.

Argumentum est terminus dirigens materiam ex quâ disferendum est: *vulgò* locus inventionis *per catachresin dicitur*.

In hâc definitione perpendemus definitum, genus & differentiam. Definitum est *argumentum*. Hanc vocẽ permulti Peripatetici sigillant, eò quòd apud Ciceronem hoc sensu non occurrat. Etenim Cicero, Quintilianus, Agricola, & alii argumentum definiunt inventum probabile, per quod minus dubium rei dubiæ fides fiat. Verùm illis hanc comparationem volo responsionẽ, libertatẽ philosophis, præsertim Logicis, non esse adimendam, quâ pro exigentiâ ipsius materiæ possint vocabula ampliare, vel restringere, præsertim si *πειθαινεύουσα* illos urgeat; id hoc quod in loco fit. Etenim in primo limine Logicus docere debet de themate. *Εὐδηλον* est libro superiori. Jam velim scire, quid themati possit opponi. Num terminus? Minimè. Nam & ipsum thema est terminus. Manente itaq; hâc hypothesi, de themate docendũ esse primo loco in Logicis: manet & hęc hypothesis, themati aliquid opponi relativè. Illud est argumentum, ipsis quoque Rhetoribus testibus, qui argumenta dividunt in explicantia seu declarantia, & demonstrantia seu probantia, & amplificantia. Non itaq; moramur rigidos illos Logicos, qui vocem hanc *argumentũ* strictè accipiunt pro ratione probabili fidem faciente rei dubiæ. Genus argumenti fecimus terminũ. Falluntur siquidẽ, qui argumentũ in Logicis faciunt genus generalissimũ. At argumentũ supra se habet terminũ, item in-

Vox argumenti num sit in Logicis ferenda, quatenus accipitur more Raméo?

Argumentum non est genus generalissimũ